

... Signata  
...  
... Imperio  
... Pace ...  
...  
... Legitima.  
... mutua  
... Majest  
... Academi  
... Feudalis.  
**RIEME,**  
... juridica  
... deca  
...  
... de la  
...  
...  
...



Sammelbd 4

U. q. 19,4



*Quod Deus benè vertat.*

QVÆSTIONES IVRIS  
ILLUSTRES:

- I. De immotis & certissimis Juris nostri principiis, quæ vocant, Practicis:
- II. De potestate statuta condendi, pro hodierno Germaniæ statu:

Quibus multæ inde dependentes utiles & jucundæ controversiæ proponuntur;  
Cum MISCELLIS aliquot subnexis:

*Ex decreto & autoritate Amplissimi ICtorum Collegii in nobilissimâ hâc Basileensi Academia,*

Pro honoribus & privilegiis in Utroq; Jure Doctoralibus impetrandis & obrinendis,

*Publicæ disquisitioni officiosè & humaniter offero*

HERMANNUS Baumgartt / Hannoverâ-Brunsvigius Saxo.

*In Auditorio ICtorum, horis solit. d. ult. MART.*  
Anno MDCXVII.



BASILEÆ,  
Typis IOAN. IACOBI GENATHII,  
Acad. Typographi.



VIRIS,  
MAGNIFICO, STRENUO;  
Generis perantiqui & Virtutum splendore  
Nobilissimis:

DN. ADRIANO von Brisberg in Bo-  
fenem:

DN. ERNESTO }  
DN. LIBORIO } von Brisberg/  
DN. FRIDERICO }

Fratribus germanis:

in Brisbergtholzen / Brunckensen / ic.  
Hereditariis:

Ddddnnnn. Promotoribus, Fautoribus &  
Amicis meis  
debito observantiae & amoris cultu  
honorandis,

*Hanc inauguralem meam Dis-*  
*sertationem,*

Animi officiosi & sinceri testimonium

*Nuncupo, inscribo*

HERMANNUS Baumgart.



QUEST. I.

DE IVRIS PRINCIPIIS  
PRACTICIS.

I.

**S**UNT, qui non leves juri nostro calumnias  
adspergant, nasum ei cereum affingentes,  
ejusque incertitudinem ex multis perverso-  
rum ingeniorum corruptelis, rem, post-  
habito usu, ex abusu, artem ex artifice, ex vitiis perso-  
narum scientiam iniquè æstimantes. In finitis equi-  
dem suspiriis SS. deplorat justitia, hâc in pejus indies  
ruente temporum senectâ, pseudo-sacerdotû sordi-  
bus, *v. Esai. 5. v. 20. Mich. 7. v. 3.* adeò delubra sua sanctif-  
sima polluta & profanata esse, ut foetore hoc & boni  
fidelesque sui Sacerdotes *l. 1. §. 1. de I. & I.* sordescere  
mundo videantur, & in hos illorum injuria redundet,  
diverbiique instar occinatur illud: *Exeat ergo foro,  
qui volet esse pius.* Sic suo etiam exemplo, non sine  
Reipubl. intertrimento, vera, proh dolor, comprobata  
jurisprudencia, quod olim suo cecinit seculo Poëta:

*Et mala sunt vicina bonis, errore sub illo  
Pro vitio virtus crimina sepè tulit.*

Iniquum verò est, malorum odio & bonos prægravari  
*c. non debet. 22. de R. I. in 6. l. 9. D. Quæ in fraud. credit.* Ma-  
lo huic non pauci viri cordati, æ qui bonique amantes,  
obviam ire consiliis suis conati sunt, quorum aliquot  
etiam partim expressis, partim suppressis nominibus  
publica facta sunt, tam latina, quàm germanica, **Bon**

A 2

verbesserung des Justici-wesens / studio equidem laudabili, sed impari successu, exitum temporum injuriã denegante. Quare optandum, & orandum animitus, ut divina, omnium rectrix, justitia, per quam Reges regnant, & potentes justa decernunt, *Prov. 8. v. 15.* & in cujus manu cor Regis est, quod rivuli instar, quò voluerit, ducit, *Prov. 21. v. 1.* Comitiorum imperii consiliis, quibus de jure dicundo & justitiã administrandã tractatur, successum saluberrimum clementissimè tandem largiatur. Sed hisce, cùm consilii magis sint, relictis, ad alia, quibus juris nostri certitudo & auctoritas adferatur, progredi placet.

2. Sunt, qui jurisprudentiam nostram artis scientiãque titulo dignari nolint, eam in artis formam redigi non posse minùs rectè opinantes. *v. Bod. distrib. jur. Paul. Bus. 2. subtil. jur. 8.* Reclamat non contemnenda opera illustrium & excelsorum juris Antecessorum §. 4. *proæm. Inst.* tam in *Instit.* quàm in *Pandect.* & *Cod. Justiniano*, licet methodo, ut loquuntur *Dd.* definitivã & arbitrariã, quin & pinguiori quandoque *Minervã* dispositis, id quod humanitùs excusandum magis, quàm culpandum.

*Namq; opere in longo fas est obrepere somnum.*

Reclamant etiam scripta præclara & methodica, celeberrimorum aliquot seculi nostri *ICTorum*, quæ variis insignita titulis exstant, puta, *Paratitlorum*, ut *Cujac. Wesenb. Synopticæ exegeleos*, ut *Dn. Eberh. Speckh. Disputationum, Trentl. Dn. Bocer. Pandectarum universi juris civ. Vigel. qui & methodos juris conscripsit, & hodie Dn. Just. Meier. Profess. Argent. Jurisprudentiæ Rom. Dn. Vult. Althuf. Art. jur. civil. Coraf. Commentariorũ juris civ. Connan. Donell. & similibus*, quos omnes recēdere nec hujus loci, nec instituti nostri est. *Ut brevibus*

*vibus præcipua concludam*: Jus scibile est; habet enim principia cognoscendi & constituendi: Ergo ejus etiam aliqua scientia ut sit, necesse est, ex vi correlatorum. *l. 10. §. 2. de I. & I. §. 1. Inst. d. 1.* Habet jus nostrum suum Genus, subjectum, & modum considerandi, quo disciplinas distingui ait philosophus, seu formam finemque proprium, progressus in eo cernitur à principiis, à generalibus ad specialia, quin & generaliter constituitur non in singulas personas, rectæque rationis discursu, tanquam spiritu & animâ regitur, *l. 1. 8. 12. 17. de legib. l. 5. C. d. tit. l. pen. Ad Exhib.* & ratio semper subest, licet quoad speciem non à quovis reddi possit aliquando, ob probabilem ignorantiam circumstantiarum specialium, quibus ad legem taliter ferendam permotus est legislator, *l. 20. de legib. ubi Zas. n. 10. & 11. quò facit arg. § pen. in fin. ibi: quæ enim. Inst. de V. O.* Quid igitur impedit, quò minus in artis formam redigi, & ars dici possit? *l. 1. pr. de I. & I.*

3. Cæterum cum ex principiis suis scientiæ rectitudo dependeat, ut inde in proverbium abiisse videatur vulgatum illud; *Contra negantem principia non esse disputandum*: ideo de iis sequentia, tanquam præcipua, delibare præsentis quæstione libet. Quamvis autem quibusdam opinionem illam arridere videam, mentem hominis rasæ tabulæ similem, quod putavit Philosophus, & *δύωραυ νεψικλώ*, seu potentiam tantum adprehendendi & cognoscendi homini conatam insitamque esse, quæ postea sese exserat, usu rationis accedente, & speciebus rerum, ab objectis sensibilibus abstractis, per *φαινοτάτων* ad intellectum deductis, juxta illud tralatitium; *Nihil est in intellectu, quod prius in sensu non fuerit*: attamen melioribus & sanioribus edoctus fundamentis adfero, esse nobis

quasdam veri γνώσεις & æqui bonique notitias à præpotente rerum omnium creatore & conservatore implantatas & impressas, adeoque legem naturæ nobiscum natam, quod & Cicero naturali intellectus luce edoctus est, non scriptam, non per discursum ab externis objectis collectam vel inductam, quæ sit æterna & immota norma & regula justii vel injusti, boni vel mali, post lapsum de imagine divinâ adhuc reliqua apud omnes eadem, omnes obligans, & instigans, tanquam pædagogus animæ sociatus, nõ obtemperantes verò, ceu naturale judicatorium, uti conscientiam vocavit Basil. terrens & adcusans, imò & αἰαπολογήτης, i. e. inexcusabiles reddens. ad Rom. cap. 1. v. 19. & 20. & 32. & c. 2. v. 14. & 15.

4. Lex naturæ igitur continet principia æqui bonique practica, naturaliter nota, quæ vel prima sunt, (est enim & in iis ordo quidam naturalis, siquidem natura & τὰ κτλ & est, omnia pulcherrimo ordine disponens & connectens) vel ex primis immediatè ultrò & per se fluentia, ut sunt conclusiones ex utraque præmissâ evidenter & naturaliter notâ, per se pullulantes: E. G. Sic ex illo principio naturaliter & evidenter noto; *Vitæ commoda procurato, Noxia fugito & propulsato*; sponte pullulat illud: *Vim vi repellere, vitam corpusq; defendere jus fasq; esto*: Sic ex illo principio; *Deum amato*; tota prima: ex hoc verò; *Proximum diligit*; secunda radices agit decalogi tabula. Atque ita verbis diversas, sensu tamen easdem Dd. locutiones accipio, aliis in principiis naturæ practicis jus legemque naturæ ponentibus, aliis in ipsa principia & communes conclusiones eam distinguuntibus.

5. Ab hisce verò longè aliæ sunt conclusiones, quæ non ultrò inde sequuntur, sed longiori discursu egent,



egent, & deducuntur vel ex utrâque, vel alterâ præ-  
missarum naturaliter non-notâ, sed ad circumstantias  
locorum, temporum, negotiorum, personarum, relatâ  
& ideo non sunt juris naturalis, sed humani & positi-  
vi, unde nata illa distinctio inter jus *φυσικὸν καὶ νόμιμον*,  
item inter jus rationis & ratiocinationis, *de quibus non  
ineleganter Wesenb. ad §. jus autem gentium. Inst. de I.  
N.G. & C. Ut duplex, ait, mētis nostræ notitia, alia sim-  
plex, alia composita, sic duplex inde jus existit, quo-  
rum alterum innatum rationi & absque magistro cog-  
nitum habetur, ut, discrimen honestorū & turpium;  
alterum verò componitur ex primo de plurium col-  
latione, ac pro necessitatibus usuque vitæ humanæ ra-  
tiocinando invenitur, aut saltem expromitur, diduci-  
tur, explicatur, & ad omnes vitæ partes atq; usus accō-  
modatur, l. 4. l. 5. de I. & I. Confer Zasi. ad l. 1. §. hujus stu-  
dii. cum duab. ll. seqq. de I. & I. n. 17. & seqq. ubi quadru-  
plicem facit qualitatem juris naturalis, quatenus procedit,  
1. Ex instinctu naturali animali. 2. Ex instinctu natu-  
rali per rationem moderato. 3. Ex ratione communibus  
principiis simpliciter & sine discursu. 4. Ex communi-  
bus principiis per discursum apprehensis ex moribus populi  
vel non malis & absolute, vel malis presuppositis & ita  
supposititiè: Confer & Connan. lib. 1. comm. jur. Civ. c. 4.  
s. 6. item Cujac. Wesenb. Giphani. Heig. ad pr. & §. 1. & 2.  
Inst. de I. N. G. & C. Plenius ista hîc non discutio, hoc  
saltem addens, cū in homine & generica & propria  
natura consideretur, ideo jus naturale à Ictis vocari  
solere aliud respectu appetitus communis animalis,  
tendentis ad bonum commune animale, in sui con-  
servationem & defensionem, specierumque propa-  
gationem; aliud verò respectu appetitus proprii ra-  
tionalis, quod contineat Leges præscribentes bo-  
num*

num naturæ rationali proprium, nempe actiones pias in Deum, probas in proximum: Et priori respectu analogicè, non verò univocè juris naturalis illius peritiâ censerî animalia, in quæ ob rationis defectum jus nō cadit. *pr. Inst. d. 1. l. 1. §. 3. de I. & I. arg. l. 1. §. 2. si quadrup. paup. ex quo tamen titulo, scilicet ex d. l. 1. §. 1. & 7. & l. pen. minus appositè Zas. d. loc. explicat d. l. 1. §. 3. id quod facile arguunt exempla in contextu d. l. 1. §. 3. & in d. princ. junct. supr. posita Zasi distinct. memb. 1. & 2.*

6. Non variat autem Lex naturæ, licet plurimæ humanæ constitutiones inde per discursum politicum pro opportunitate & necessitate communis Civilisquæ vitæ deductæ, quandoque varient & mutentur. Genus & fundamentum legum humanarum morale & naturale distinctè separandum est à speciali determinatione forensi & positivâ: Hâc sublatâ vel mutatâ, illud nihilominus idem semper manet & immotum, quæ cautela etiam quando de Mosaicarum legum forensium observatione in Christianorum politiis quæritur, accuratè tenenda est. *Vid. Joann. Gerhard. dec. 5. q. polit. 3. Dn. Hunn. de autor. jur. c. 1. q. ult. Zepper. de ll. Mosaic. c. 2. ubi tamen quædam ut moralia ponit, quibus legis moralis notæ non conveniunt. Diversitas & varietas illa juris positivi oritur ex temporum aliarumque circumstantiarum varietate, quæ negotia humana circumfluit, variâque mediorem à Legislatore factâ consideratione, qui etiam in iis non rarò ob varium rerum humanarum fluxum & refluxum errare solet, & quod initio credebat prodesse, experimento reperit inutile, ut loquitur Imp. Nov. 111. in princ. faciunt l. unic. in pr. & §. 14. C. de caduc. toll. constit. tanta. §. 6. in fin. de confirm. digest. l. 2. de origine jur. l. 1. & 2. de constit. Princ. l. 1. in pr. de L. Jul. ambit. Nov. 127. in pr.*

*in pr. N. 39. in pr.* Nulla lex omnibus commoda est, dicebat Cato Censorius. *Bod. 4. de Rep. 4.* Ut enim diversis ob diversa corporum temperamenta, morbosque varios eadem pharmaca non rectè applicantur, ita nec omnibus eadem conveniunt jura. Quemadmodum igitur medicina in se certa est, & constans, licet pro diversis objectis externis varia paret medicamina: sic & jurisprudentia, quæ medicinæ comparatur, *d. Nov. 111. in pr.* eadem omninò est & principiis suis regulisque semper certa, licet pro varietate objectorum externorum varia quandoque præscribat jura, quæ tamè eo ipso, quo nonnunquam sunt alia, eadem omninò esse videntur, diversa autem & aliena à juris ratione futura, nisi alia fiant, proportionem nimirum circumstantiarum diversitatem conciliante, *Vult. ad pr. Instit. de I. & I. n. 7.* Omni tempore, omni loco, omni personæ non convenit idem re, quod tamen ratione idem est. Et ita in talibus casibus non mutatur ratio boni, sed potius ratio circumstantiarum & applicatio. Quæ etiam observanda sunt, si quandoque jus strictum & æquitas sibi opponantur, *l. 52. de pact. l. placuit. C. de judiciis.* *Ανεξ Godikauoy* ex accidenti iniquum fit, quando contra suam rationem aliò torquetur, & ideo æquitas correctio legis vocatur, non quòd legem tollat, sed quòd eam limitibus suis, qui ex mente & ratione cognoscendi sunt, regat, & si aliò torqueatur, corrigat, ne sub ejus autoritate perniciosè erremus, & jus, quod retinere videri volumus, amittamus, *l. 91. §. 3. ubi Donell. n. 3. de V. O. d. l. placuit. C. de judic. l. pen. ad exhibend. l. bona fides. 31. in pr. & §. 1. depositi. l. 85. §. fin. de R. I. l. scire leges. 17. l. 29. ff. de ll. l. 5. C. d. t. l. 2. §. 5. ff. aqu. & aqu. plu. arc. l. 19. de appellation. l. 12. §. 1. qui & à quib. manum. v. Myns. 6. obs. 63. Thoming. decis. 16. n. 16. & seq.*

B



*Trentl. 1. disp. 1. 0. 2. lit. b. Philipp. Matth. ad l. 9. n. 45. de R. I. Robert. 3. sentent. 12.* Quòd si lex humana (ut ad priora redeam) prorsus immutabilis & inflexibilis esset, hoc esset non sub regimine *l. 1. & 2. de ll.* sed sub tyrannide legis vivere, & pejùs, quàm sub tyrannide hominum. *Petr. Greg. 7. de Rep. 20. n. 8.* quin & leges humanæ non sunt de fine sed de ordinatis ad finem, nec de iis fiunt quæ secus se habere nequeunt, sed de rebus quæ humanæ libertati subjiuntur. *Piccolom. grad. 10. c. 23. Joann. Gerhard. d. dec. 5. q. 4.*

7. Non prætereundum hoc loco est, post lapsum primorum parentum statu corruptionis exorto, plurimos etiam sæpè casus enatos fuisse & adhuc enasci in politiis, quorum quæstiones & decisiones legum etiam naturalium contrarietatem & mutationem inducere videntur. Sed pugna ibi & variatio nulla est, licèt primâ facie simpliciter intuenti appareat. Sunt enim jura naturalia aliquando sibi invicem subordinata, ita naturæ ordine jubente contemperanda, ut dum ab uno recedi videtur, tum vel maxime ipsum jus naturæ conservari in effectu appareat, *Vultej. ad §. pen. Inst. de I. N. G. & C. n. 6.* Exemplis, si opus esset & institutio ratio pateretur, per discursum id doceri posset, in conflictu salutis publicæ & privatæ, vide *Jerem. 29. v. 7. Nov. 39. c. 1. c. unic. in pr. de prohib. feud. alien. per Lothar. 2. feud. 50.* Tabulæ Decalogi primæ & secundæ, vid. *Act. 4. v. 19. c. qui resistit. 11. q. 3. 1. Sam. 2. vers. 29.* præcepti, de non occidendo, & defensionis, item vindictæ publicæ, *Exod. 22. vers. 2. l. ut vim. 3. de I. & I. Genes. 14. v. 14. l. I. C. quando liceat unic. Rom. 13. v. 4. Levit. 20. v. 9. 1. Reg. 2. v. 31.* quibus non refragatur dictum Christi *Matth. 5. v. 39.* Vid. *Lev. 19. v. 18. Deut. 32. v. 35. d. c. ad Rom. 13. v. 4. & c. 12. v. 19. Matth. 18. v. 31. 1. Petr. 2. v. 19. l. non est singularis. de R. I. l. 13. §.*

*l. 13. §. 3. de usufr. l. 13. quod met. caus.* Notandum autem, si longiori discursu juris naturalis temperamentum & determinatio fiat, hanc juri positivo & humano adscribendam esse, *per supr. dict. §. 5.* quod generalem legis naturæ conclusionem ad speciem, thesin ad hypothesin transfert, ut pax publica, salus populi & externa disciplina conservetur, & cuique suum tribuatur, quâ ratione etiam naturæ quædam determinatio dicitur, *arg. l. 5. & 6. de I. & I. Myns. ad §. pen. Instit. de I. N. G. & C.* exemplo sint: jura bellorum, captivitatum, variorum munerum onerumque personalium & realium indictio, vide *§. 2. Instit. d. t. Nov. 89. in princ. & c. 1. 1. Reg. 8. v. 11. & 20.* & alia similia juris publici vel privati. In quibus si severitas quandoq; appareat durior, noveris nō invitâ naturâ aliquando eam adhiberi & ancipitib. morbis ancipitia remedia quæri oportere, id quod semper prudens & recta moderatur circumstantiarū consideratio. Per se bonum decernit cuique æqua mater natura, nulli noverca; malum verò malis (ut in bellis, vindictâ publicâ & simil.) ex accidenti quasi invita tribuit, id quod tamen si æquâ rationis lance ponderes, bonum est & æquum. Quid verò ad ἀσπρῆσαν illam, quam fovere videtur *l. 35. de religios. & sumpt. fun. ?* cui adde *Ord. Cam. p. 2. t. 9. §. So jemandes. ibi: Leib und Gut aller meniglich erlaubi seyn.* Id placida docebit collatio, *v. Bodin. 1. de Rep. 4. Harppr. ad §. Item L. Cornel. Inst. de publ. jud.* sicut & id, an in societate politicâ utile justumque sit, ut patres in filios, & domini in servos jus vitæ necisque habeant? *vid. Deut. 21. v. 18. Exod. 21. v. 12. & 20. l. 11. de lib. & posth. l. 9. §. 3. de offic. proc. & leg. l. 1. de obseq. par. & patr. prest. l. 5. de L. Pomp. de parric. l. fin. C. de pat. pot. §. 2. Instit. de his qui sunt sui vel al. jur. Bodin. 1. de Repub. 4. Matth. Steph. cent. 1. q. 27. & 34. And. Gerhard.*

*decad. 2. Justin. quest. 1. circ. fin. Haenon. disput. 2. Instit. q. 1.*

8. Ex prædictis etiam apparet, eorum opinionem sustineri non posse, qui jus publicum ex præceptis naturalibus deduci negant, *Wesenb. Borch. Heig. ad §. fin. Instit. de l. & l. à quibus recedunt Vultej. ad d. §. fin. n. 2. Gædd. ad l. 6. in pr. n. 11. de V. S.* Quis non videt pietatem in DEUM, probitatem in proximum, quæ duo sunt summa legis moralis capita, non minus juris publici, quam privati normam esse & regulam, quibus neglectis, quod utile esse debebat Reipub. & private, in corruptelam omnium degeneret? Esto! in jure publico nonnunquam publicæ salutis causâ. privatorum aliquam utilitatem negligi! num propterea jus naturale juris publici principium negabitur? Non dixeris, si memineris, & id fieri communi lege Naturæ, quæ vult, satius esse pati minoris commodi jacturâ, ut majus malum evitetur, quæ jactura tamen esse non videtur, cum majori commodo & publico bono resarcia- tur: omnibus enim benè est, si Reip. benè est, *d. Jerem. 29. v. 7. facit l. 51. v. multa. ad L. Aquil. & d. c. imperialem. in pr. 2. Feud. 50.* Sic quis non potius damna belli illata tempore remittenda censeat, aureæ pacis favore, quam belli injurias vindictæ cupiditate ulterius sustineat, dubiumq; & periculosum ejus exitû expectet? *v. Geil. 2. obs. 57.* Et certè cautam & providam naturam adeò videmus in salute universi laborare, ut quandoque à speciali etiã inclinatione res naturales cedant, quemadmodum in metu vacui exemplum ponunt Philo- sphi, cum salus universi consistat in rerum coordina- tione & concatenatione.

9. Porro gravissima hîc quæstio objicitur, Num Christianus magistratus permittere salvâ conscientia possit, quæ legi naturæ morali vel Decalogo contraria sunt?

sunt? Cautè hîc procedendum; & partim permittentes, an inferior vel superior sit magistratus, partim permittenda, an directò, an obliquè vel per consequentiam, an per se vel ex accidenti legi morali repugnent, partim causas permissionis, an extrema eam cogat necessitas, an media supersint, quibus honestas servari & Reipub. vel Ecclesiæ subveniri possit, an colore potius necessitatis & publicæ utilitatis libido nequitia & turpe lucrandi studium vestiatur, an majus malum eligatur ut minus negligatur & evitetur, & similia, piâ discretionis & discretæ pietatis lance diligenter ponderanda esse existimo, quæ cum longiorem discursum requirant & meditationem, placidæ disputationi reservare malo. Quod si permittantur eorum aliqua, propterea tamen lex naturæ non mutatur: permittuntur enim, non probantur, & licet seculi injuriâ pœnis debitis à magistratu non coërceantur, nec coërceci possint, author tamen naturæ legis suæ violationem severissimè vindicare suo tempore noverit. *v. Gen. 19. Judic. c. 19. & c. 20. v. 13. & seqq. 1 Sam. 2. v. 22. & seqq. Ad Rom. c. 1. v. 27.* Quin & permissio illa ex accidenti est, quæ non mutat, quod per se est, & ideo obligationem legis naturalis ejusque accusacionem & damnationem non tollit. *v. Rom. cap. 1. v. 32. & cap. 2. v. 15.* Legem enim concedere, & debitam obligationem vel ad obedientiam vel ad poenam negare, *σὸ ἡρόξυλον* est. Magistratus verò excusatur, qui temporum ferociæ & violentiæ cedere coactus est, dum retum clavum naucleri instar pro virili teneat, vel peritos & bonos imitando Medicos, corpus Reip. cacochymicum, quod violentâ catharsi uno impetu evacuari sine inevitabili salutis discrimine vix ac ne vix quidem potest, sensim restituere & servare, si nō plenè

& perfectè, saltè quoad ejus pro mortalis vitæ conditione fieri potest, piè & prudenter studeat: non enim possunt omnia in politiis semper ad vivū refecari, &

*Interdum doct' à plus valet arte malum:*

imò & finem, salutem scilicet, videmus, sed medium non rarò ignoramus. Ea est ingenii nostri ex lapsu protoplastorū reliqua obscuritas, ut instar vespertilionum (*liceat mihi cum Philosopho subtilissimo loqui*) ad meridiem caligemus, & ceu vulpecula Aesopica à ciconiā delusa vitreum lambamus vas, pultem non attingamus. Id quod etiam pio debet esse ad preces incitamento, in quibus supremum Reip. & Ecclesiæ munitum positum est, ut Deus Opt. Max. in cujus manu corda & magistratus sunt & subditorum, *Prov. d. c. 8. v. 14. & 15. & c. 21. v. 1. 1. Reg. 11. v. 14. & c. 12. v. 8. & 24. Ad Rom. 1. v. 26.* salutaria largiri clementissimè dignetur: Confer in hanc quæst. *1. Reg. 12. v. 26. & c. 18. v. 17. c. 15. v. 14. c. 22. v. 43. & lib. 2. Reg. c. 14. v. 3. & 4. c. 18. v. 3. Matth. c. 19. v. 3. Gen. 19. v. 8. Judic. 19. v. 24. Deut. 23. v. 18. & v. 20. Levit. 25. v. 36. Psal. 15. v. 5. l. 26. C. de usur. Pol. Ordn. des H. R. zu Franckf. Ann. 1577. tit. Von wucherlichen contracten. l. 27. de hered. pet. & l. 6. & 7. C. de spect. lib. 11. l. fin. C. de incest. nupt. l. 2. & l. 8. C. de resc. vend. ex quibus & similibus tum exempla, tum rationes pro discursu sumi possunt, quem in publicam, ut dixi, collationem brevitatis studio differo.*

10. Neque etiam, quod objici solet, perversis & barbaris gentium quarundum moribus & legibus (*Apud alias enim gentes alia scelera usitata & recepta fuisse testantur scriptores, ut de latrocinis Germanorum priscorum scribit Cas. 6. com. de bel. Gall. Vid. & alia exempla apud Dn. Gæd. ad l. 42. n. 8. de V. S. And. Gerh. dec. 1. q. 3.*) legis naturæ constantiæ, unitati & veritati quidquam derogari



derogari putandum. Natura enim ab hominum curâ,  
γνώσις à πράξι, lex ipsa ab applicatione & usu, vel ab-  
usu potiùs, discernenda sunt. Quod attinet ipsa prin-  
cipia & conclusiones communes, hæc non variant,  
sed apud omnes eadem, nec in gentilibus & non re-  
natis prorsus falsa sunt, *quod nonnullos minùs rectè vo-  
luisse video:* in conclusionibus verò & applicationibus  
specialibus, non exigua sæpè in corruptâ hâc & cor-  
ruptrice naturâ varietas & exorbitatio deprehendi-  
tur, ob educationis pravitatem, consuetudinum anti-  
quarum superstitiosam & irreligiosam observantiam,  
rationis cæcitatem, circumstantiarum actiones hu-  
manas circumfluentium varietatem, iudicii divini se-  
veritatem, & si quæ aliæ ejus rei causæ dari possunt.  
*Vide ad Rom. c. 1. v. 18. 25. 26. 32. & c. 2. v. 15.*

II. Ex his igitur noverint pii Magistratus, omnem  
& mutandi & dispensandi potestatem in divinis natu-  
ræ legibus sibi prorsus interdictam esse, (*eius enim est  
dispensare, cujus est ferre: ejus est refigere, cujus est legem  
figere.*) nec nisi in iis, quæ humanæ libertati relicta sunt,  
competere, *v. 1. Sam. 2. v. 25. Jesa. 8. v. 20.* pro potestatis  
tamen suæ modo, non temere, non pro suâ tantum li-  
bidine, quæ tyrannorum legibus pro ratione est, sed  
piè & prudenter, ex conscientia suâ, honestatis, salu-  
tis publicæ vel privatæ, officii, virtutis & rationis rectæ  
consideratione, quibus se verus ac bonus Princeps  
publici boni & exempli gratiâ obstrictum libenter fa-  
tetur, ut non immeritò hîc usurpes Proverbium illud  
antiquum, *l. 6. §. 3. de off. proc. & leg. ἔτε πάντα, ἔτε πάντοτε,  
ἔτε παρὰ πάντων.* Noverint & meminerint semper pii  
Magistratus auream & penè divinam Tullii vocem,  
quem *lib. 3. de Repub.* vim legis naturæ his verbis expres-  
sisse memorat Lactant. *lib. 6. de divin. justit. c. 8.* Est verò  
lex,

lex, recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna: huic legi nec prorogari fas est, nec derogari ex hâc aliquid licet, nec tota abrogari potest, nec verò aut per Senatum, aut per populum eâ liberari possumus. Meminerint quod Augustinus ait *lib. de vera relig. c. 31* Conditor legū temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de quâ nulli animæ judicare datum est, ut secundum ejus immutabiles regulas, quid pro tempore jubendum vetandumq; sit, discernat. In specie si libebit disquirere conferenti, en, gravissimas obfero quæstiones. Humanæ dispensationi subjecta non sunt I. Homicidii poena capitalis, *v. Gen. 4. v. 14. & c. 9. v. 5. 2 Sam. 13. v. 38. & c. 14. Matth. 26. v. 52. Apocalyps. 13. v. 10. Trentl. 1. disp. 1. 8. lit. b. Hunn. de autor. jur. c. 1. q. ult.* II. Incestuosa fratris & sororis cōjunctio. *v. Genes. 4. & 20. v. 12. Lev. 18. v. 9. 11. & c. 20. v. 17. 2. Sam. 13. v. 13. l. fin. de rit. nupt. l. fin. C. de incest. nupt. l. 38. §. 1. ad L. Jul. de Adult. Bez. de divort. p. 33. Alber. Gent. lib. 5. de nupt. c. 8. à quibus dis. Wesenb. ad §. 2. Instit. de nupt. Harppr. ibid. n. 3. Forster. 1. disp. Instit. 3. q. 24. Motz. de contract. tit. de nupt. col. 7. n. 15. ubi Pontifici Romano dispensandi potestatem etiam in gradibus Levit. 18. prohibitis malè attribuit.*

12. Noverint & Judices, casus pro Amico, quos vocant Dd. sibi nullos relictos esse. Pro justo pronuncian- dum, non ut pro Amico, cujus adfectus in justo judice cesset, *Deut. 1. v. 17.* unde etiam clausis seu velatis oculis virginis castæ formâ vel imagine justitiam veteres pinxerunt. *Vid. l. non possunt. de legib. l. 13. in fin. de Testib. l. 4. §. 1. ibi: boni. Fam. erisc. l. 137. §. 2. de V. O. l. 17. Ad L. Jul. de adult. Auth. si verò contigerit. C. de judic. l. 10. de I. & I. Tessa. decis. 206. & 89. Trentl. 1. disp. 1. 8. 1. lit. b. Aleman. in palest. cōsult. 8. q. prin. 2. pag. 714. ubi allegat plures.*

13. Nove-



13. Noverint denique & subditi legitimis magistratus ordinationibus & statutis, etiam propter conscientiam obediendum esse. *Ad Rom. 13. v. 1. & 5. 1. Pet. 2. v. 13. & 19. Prov. 8. v. 15. l. 2. de legib. Joh. Gerh. dec. 5. q. Polit. 8. Dn. Hunn. de aut. jur. c. 1. q. 2. ubi dissent. refert & refellit.*

QUÆST. II.

DE POTESTATE STATUTA CONDENDI.

I.

NON vulgaris nominis Interpp. statuunt, quamlibet Civitatem etiam superiorem recognoscen-tem & mediatè Imperio subjectam, sine Principis permissu, cōsensu & confirmatione statuta condere posse, vel juri communi contraria & derogatoria; pro modo tamen Jurisdictionis suæ, ita ut potestas illa statuendi jurisdictionis censeatur esse, si jurisdictionem tantum habeat Civitas simplicem: mixti imperii, si mixtum habeat imperium: si merum, meri: Nec civitatem tantum eâ valere potestate affirmant, sed & partem Civitatis (*seu quarterium, ut vocant, Quartier*) & Collegia quælibet opificum (*quæ vocamus linguâ nostrâ, Innungen/ Ampten/ Gilden/ Zünfften. P. D. zu Franckf. Ann. 1577. tit. 38.*) Deniq; libertatem potestatis ejus sanctæ adeo profanant & prostituunt, ut quamlibet familiam successoria statuta sibi ferre posse opinetur. *v. Trentl. p. 1. disp. 1. §. 10. lit. b. Schneidvv. ad §. 1. Inst. de I. N. G. & C. Coler. de process. execut. p. 1. c. 3. Sichard. ad l. fin. C. de jurisd. omn. jud. n. 4. s. tr. de statutis Baldi, à Sigismundo ejus pronepote collect. verbo, Collegium. Alb. de Rosat. de statut. lib. 1. q. 3. 5. 6. Hard. à Dassel ad l. 9. de I. & l. c. 6. Bart. ad eand. l. & Dd. comm. Palmarium suæ*

C



opinionis ponunt in *d.l.9. de l. & l.* ex quâ regulam constituunt, populum quemlibet communi juris permissione *vigore d.l.9.* statuta condere, & ideò superioris consensum non requiri.

2. Verùm non solùm nihil ejus ex *d.l.9.* sequi, sed etiam opinionès illas tam à politicis quàm juris nostri fundamentis omninò alienas esse, veritate jubente, justitiâ decernente, nullus dubito pronunciare *cum Dn. Paurmeist. lib. 1. de Jurisd. c. 27. n. 36. Dn. Besold. ad l. 9. de l. & l. n. 3. §. & licet.* Fundamentum cùm erroneum sit, non mirum, si plurima erronea sequantur, atq; ita sub specie & auctoritate juris perniciosè erretur, ut loquitur Ictus in *l. 91. §. 3. de V. O. Ε'ν τῷ ἀτόπῳ δ'οθέντι τῷ πόλιν ἐπέτι,* ait Philosophus in topicis: Dato uno inconveniente, sequuntur plura.

3. Leges animam ac spiritum Civitatis verè dixerunt Majores. Ut enim corpora nostra sine mente, sic Civitas sine lege suis partibus, ut nervis ac sanguine & membris, uti non potest. Quæ igitur dissolutio nervorum, si cuilibet (*nam & Civitates illæ privatorum loco habentur, l. 16. de V. S.*) legum particularium ferendarum potestas permittatur? Sancta legum majestas est, *Proverb. 8. l. 2. de ll.* quod & veteres legulatores Ethnici intellexerunt, à diis legum suarum originem derivantes, alii à Jove, alii ab Apolline, alii à Minervâ, &c. quibus fabularum involucris mysteria quasi regi & doctrinas egregias *post Sabin. & Piccolom.* refert & explicat eleganter *Joann. Gerhard. decad. 5. q. 2.* Quæ igitur profanatio, si sancta juris ferendi potestas inferioribus, quorum est accipere legem, non dare, promiscuè & sine ratione ita prostituatur?

4. Ut ex primis fundamentis veritas deducatur, sed breviter, Imperium τῆς πολιτείας non malè à *Paurm. lib. 1.*



nova Imperii facies est in Germaniâ nostrâ, tam quoad Magistratus ipsos terrarum, quam quoad eorum potestatem & jurisdictionem. Illud tamen adhuc verissimum esse dico, eos ut terras suas, sic & potestatem, quam in iis exercent, ab Imperio & Imperatore recognoscere, ita ut quemadmodum ab Imp. in jus dicentes per concessionem, investituram, confirmationem & commissionem fluit, ita & ad eundem per appellationem, nullitates, querelas, supplicationes, imò & officii ratione refluit jurisdictio, ut jus & justitia servetur & administretur, idque instar Oceani, ex quo flumina fluere & ad eundem refruere dicuntur, *Thom. Michaël. de jurisd. concl. 1. lit. c. vid. Eccl. Salom. c. 1. v. 7.* Quo vel solo argumento, inter alia, Imperii Romano-Germanici majestas maximè asseritur, *quicquid etiam Bodin. & alii calumniantur.* Hinc, quia superioritas in concessionibus istis semper salva manet, (*quam Imp. etiam à se abdicare non potest, esset enim homicida suæ dignitatis, ut loquitur Bald. Knich. de Saxon. non provoc. jur. v. Ducum Sax. c. 1. n. 14. Th. Michaël. d. loc. concl. 15.*) si bella in provinciis oriantur extra casus Constitutionibus Imperii admissos, *vid. Recept. Imp. Aug. 1555. & Spir. 1570. Denais. Jus Cam. tit. pacis publ. cons. & exec. 212.* mandata avocatoria & inhibitoria sine clausula decerni videmus. De foederibus pacis publicæ causâ contractis *v. Aur. Bull. Carol. 17. tit. von Zusämenverbündnus. ibi, Jedoch die Gelübde. Myns. cent. 6. obs. 2.* De aliis etiam specialiter reservatis (*ut de vectigalibus novis instituendis vel augendis, v. R. A. zu Regensp. 1576 §. Weisers. ibi, Ohn vnsern Keyserlichen consens/ auch ohne bewilligung vnseres vnd des H. R. Churf. 22. & ibi, Zu vnser besondern Hoheit vnd Reservaten/ 22. item Symphor. Cam. tom. 3. verb. vectigal. Myns. cent. 5. obs. 29. Borch. ad c. un. qua sint regal.*

n. 45. Thom. Mich. de juris d. concl. 11. lit. c.) exempla afferri possent, sed cum instituti non sit ea pertexere, allata sufficiant. In materiâ nostrâ, quâmvīs *vopo Jecia* statibus Imperii concessa sit, ut dicemus infra, superioritas tamē Imperio & Imperatori salva manet, arg. *Auth. cassa & irrita. C. de SS. Eccl. Auth. navigia. C. de furt. P. H. D. Caroli V. art. 218. Constit. Carol. V. Nürnberg. 1521. Von success. Brüder vnd Schwester Kinder. & recess. Imp. Spirens. 1529. §. Item als bisher.* Quæ verò ratio, quòd dictâ constitutione Caroli V. per regimentū zu Nürnberg 1521. non attentâ, in territoriis Electoris & Ducum Saxoniae vetus dispositio Juris Saxonici *art. 17. lib. 1. Landrecht.* quâ filii fratrum cum patruis in stirpes non admittuntur, observetur? De eâ in discursu, si libet, videbimus. *vide Hardvv. Dassel. ad d. l. 9. c. 10. n. 75. & 3. seqq. Schneidvv. ad t. Inst. de success. ab intestato, tit. de tertio ord. succed. n. 14. Scheplitz ad prompt. Jur. Clameri, tit. 24. §. 8. n. 2. A quibus dissentit Henning. Gæden conf. 71.*

7. Sit igitur regula nostra, *vopo Jecia* seu statuta & leges particulares condendi potestatem nemini competere, nisi cui ea ab Imperio vel Imperatore expressè vel tacitè specialiter concessa sit. *Paurmeist. de juris dict. lib. 1. c. 6. n. 11. ubi etiam notabiliter scribit, vopo Jecia tam universalem quàm particularem ad solius Reip. jus, quod in Imperio Romano non Principes & Status singulares, sed universi pro indiviso obtinent, pertinere, quâ de re confer ejusd. lib. 1. c. 3. & lib. 2. c. 1. & 2.* Quamobrem non est firma consequentiæ ratio; *Status Imperii est, ergò vopo Jecia habet: sicut nec in eo; Jurisdictionem habet, puta Ducatus Saxoniae. Ergò & vopo Jecia habet, & statuta condere potest.* A separatis enim non rectè fit illatio.

8. Ut res illustrior fiat, ad species, quoad ejus pro

re natâ & temporis ratione fieri potest, descendemus.  
Sic Principes Imperii territorii jura sublimia & regia  
obtinentes, **die Landsfürstliche Obrigkeit oder Hoheit**/  
jura provincialia in suis terris condunt, eaque manda-  
tis poenalibus muniunt, sicuti videmus **Landrecht**/  
**Landsordnung**/**Hoffgerichtsordnung**/**Landtags Ab-**  
**scheid**. Satis id confirmat (*ut alia brevitatis studio præ-*  
*teream*) laudatis. & piiss. memoriæ Princeps Julius,  
hodierni Ducis Brunsv. & Luneb. Frider. Ulrici, Dn.  
mei clementis. Avus, **in der Vorred der Fr. Br. Hoff-**  
**gerichtsordnung. §. So wollen. ibi, So wir auß Fürst-**  
**licher Macht vnd Obrigkeit / auch in Macht vnser has-**  
**benden Regalien / Freyheiten / Gebrauch / Übung / Bez-**  
**wonheit / vnd sunst von Rechts wegen thun sollen / könne**  
**oder mögen**. Possunt Principes in suis territoriis tan-  
tum, quantum Imperator in Imperio: salvâ tamen su-  
perioritate, unâ cum iis quæ specialiter reservata, nec  
tacitè vel expressè specialiter concessa sunt, ut & su-  
prâ memini. Sano enim sensu regula illa, non simplici-  
ter, sed in terminis habilibus intelligenda est, ne sub  
ejus autoritate perniciosè erretur, *ut in simili loqui-*  
*tur ICTus in l. 91. §. 3. de V. O.* & uno inconvenienti præ-  
supposito, inde sequantur plura. *vide Borch. de feud.*  
*c. 5. n. 37.* Jura territorii, vulgò **was der Landsfürstlichen**  
**Obrigkeit anhengig vnd zugehörig** / latius hîc, cum  
brevis esse cogar, non discutio, quæ etiam, cum certo  
jure scripto formam definitam non habeant, sed in  
moribus & consuetudine ut plurimùm consistant,  
ægrè definiri possunt, *Paurmeist. d. tr. lib. 1. c. 6. n. 12.*  
*Wehner. pr. observ. verb. Landsfürstliche Obrigkeit. in*  
*pr. ubi Dd. allegat.* Putem, cum jus territorii sit superior  
territorii protectio, *ut loquitur Thom. Mich. de Jurisd.*  
*concl. 44. lit. d.* & superioritas (*particularis scilicet, quæ*  
*Imperii*



*Imperii superioritatem, ut supra dixi, non tollit) sub nomine & qualitate der Landsobrigkeit ordinario & proprio Marte cōcessa, ut loquitur Knich. de subl. & reg. terr. jur. c. 1. n. 174. cū item Imperio Politico universali suo modo subordinatum sit, ut loquitur Paurm. d. c. 6. n. 7. putem, inquam, non malè id exemplo Imperii illius politici duobus contineri principalibus capitibus, juris dicundi nimirum & belli provincialis gerendi potestate, & uno accessorio & subsidiario, munerum onerumq; personalium & realium indictione. Paurm. d. n. 7. & trib. seqq. Confer quae dixi supr. §. 6. h. q. ex quibus patet, non absolutè, sed in terminis habilibus justo temperamento pro modo concessionis ea accipienda esse. Confer etiam Thom. Maul. in tr. de homag. Item Bidemb. nob. quaest. 1. De quo plenius planiusque differendi alius fortè locus dabitur. v. Knich. d. tract.*

9. De Civitatibus etiam Imperii liberis, quin pro modo potestatis cōcessæ (non enim omnibus eadem tributa est quoad sublimia territorii jura, quamobrem ea etiam omnia indistinctè omnibus tribuere non ausim, cum Knich. in epopsi hypotyp. Daubina, n. 102. à quo disj. Dauth. in d. hypotyp. utrū lib. Imper. Civit. & c. Brüning. de var. univ. spec. §. 19. Quibus adde Th. Michael. d. concl. 44. lit. g. Geil. 2. obs. 57. n. 7. & de arrest. c. 9. n. 1. Nec enim sequitur: Status Imperii est Civitas Imperialis; Ergo habet Regia territorii jura. v. Paurmeist. d. c. 5. n. 1. 4. 6. 12. Geil. 2. obs. 57. n. 7. & 1. obs. 21. n. 2. & præcipuè de arrest. c. 6. n. 25. 26.) statuta in Civitate & locis subjectis condere possint, non dubito, Zas. ad l. 9. de I. & I. n. 6. Geil. d. c. 9. n. 1. idque testantur verba clara Frid. Imp. in privil. Colon. 1423. ibi, *Wiewol sie von wendland ynsern Vorfahren Uns vnd dem H. Reich als andere Unser vn̄ des H. Reichs Statts ten gefreyet gewesen / daß sie zu notturfft gemeines Regiments*

giments daselbst zu Cöln/ Ordnung/ Sakung/ Gebote  
vnd Verbote fürnehmen vnd thun. *Symph. Camer. tom.*  
*6.c.7.§.8. vid. & ibid. privil. Argent. de an. 1555. §. 2. tit. Ar-*  
*gentina. ibi,* Wir gebē ihnen auch die gnad vnd freyheit.  
De voto & Sessione Civitatum Imp. in Comitibus adde  
Paurm. *de juris d. lib. 2. c. 2. n. 23.* Item zween außführliche  
Rahtschläg/ rē. des H. R. Reichs Ehrbare Freyen vnd  
Reichs Stätten Session, Stand vnd Stimm betreffent/ rē.  
*quorum posterius est Ludov. Gremy/ & Hieronymi zum*  
*Lamb.*

10. Quid verò de Civitatibus municipalibus seu  
provincialibus, Fürsten Stätt/ Land Stätt/ que Prin-  
cipi alicui & ita mediatè Imperio subsunt? Regulari-  
ter eas hac statuendi potestate sine superioris consen-  
su & permisso non gaudere ajo, cum privatorum loco  
sint, *l. 16. de V. S. Geil. 1. obs. 1. n. 18. & de arrest. c. 9. n. 2. Besold.*  
*ad d. l. 9. de I. & I. n. 3. §. Sed quid judicandū. Zas. d. l. n. 7.*  
Videndum igitur, quid & quantū ipsis vicissim à Prin-  
cipibus, vel ab Imperio mediatè vel immediatè con-  
cessum sit. Videmus certè, eas etiā, præsertim majores,  
quales in terris Saxonis non pauca reperiuntur,  
nō minimis gaudere privilegiis & immunitatibus, ut,  
magistratum sibi liberè constituendi, statutis mori-  
busq; suis vivendi, & similibus, quæ etiam iis à Prin-  
cipibus vel ante vel post homagii receptionem, prout  
moris vel privilegii est, vor oder nach leistung der  
Erbhuldigung/ confirmantur / daß der Landsfürst der  
Statt freyheiten/ privilegien/ genaden/ gewohnheiten  
vnd alt herkommen / wie gewöhnlich herbracht/ confir-  
mire vnd beståhtige / vnd sie darbey schütze/ *manutenire*  
*vnd handhabe.* In quibus verò immunitatem vel ex-  
presso vel tacito privilegio non obtinuerunt, in iis  
Principem suum debito modo, als ihren gnädigen re-  
gierenden

girenden Landsfürsten vnd Herren / wie getreuen ehrlichen Vnderthanen wol anstehet / recognoscunt.

11. An verò speciali etiam Principis confirmatione in statuti promulgatione opus sit, quæritur? Puto & hîc respiciendum, quid quantumve obtentû sit, item an Princeps sit in possessione vel quasi statuta approbandi, an verò Civitas in possessione vel quasi statuta Principe inconsulto promulgandi; *quam distinct. etiã ex Vasq. refert Hillig. in Donell. enucl. lib. 1. c. 6. lit. c.* Ut ut tamen sit, hoc etiam casu (*indistinctè enim ad firmare non lim, confirmationem ad benè & utiliter esse, non ad ipsum esse requiri, ut putat & loquitur Heig. q. 23. n. 33.*) cautè ex Civitates publico suo civiumque commodo consulunt, si tum ob venerationem Principis, tum disputationis & dubitationis omnis amovendæ gratiã, de confirmatione maturè sibi provideant, *Zaf. d. l. n. 7.* Id quod etiam usu observari videmus, ut ea vel generaliter ante vel post homagii præstationem, ut dictum, vel specialiter etiam quandoq; petatur & impetretur.

12. Quæ verò Civitas Imperialis libera, & status Imperii sit, quæ provincialis & municipalis, non levis videtur esse inquisitionis, præsertim, quòd Civitatum Germanicarum distinctio tricus non exiguis involvatur à Scriptoribus, quando alias faciunt Imperiales, municipales & mixtas, item alias pactitias, exemptitias, & privilegiatas: *v. Dauth. d. hypotyp. sect. 7. & ibid. Knich. in eposi. n. 124. & seqq. Brüning. de var. univ. spec. th. 14. 15. Dn. Cluten. syllog. rer. quot. th. 27. lit. c. & seqq.* Arbitror Civitatis statum ex origine, incremento, privilegiorum collatione & cõfirmatione, subjectione & subjectionis juramento, quod homagium vocât, collectarum provincialium solutione, horumq; qualitibus & circumstantiis rectè pensculatis, æstimari

D

oportere. *Imperiales* quod attinet, ex non tam ex im-  
mediatâ subjectione & appellatione, quàm ex co-  
optatione in numerum Imp. Ordinum & sessione &  
voto in Comitibus Imperii definiende: v. *Geil. & Paurm.*  
*locis supr. § 9. alleg. & confer qua scribit Thom. Mich. de*  
*jurisd. concl. 54.* Municipales, & Provinciales, **Lands-**  
**oder Fürsten Stätt**/præ aliis notis suprâ relatis, indu-  
bitata subjectionis tessera, arguit homagium, die  
**Erb oder Landhuldigung**/ *Thom. Mich. d. l. concl. 57. Brü-*  
*ning. d. d. sp. §. 33. Wehn. pr. obs. verb. Lands: oder Erbhul-*  
*digung/ als daß der Racht/ Burger vnd ganze Gemeine*  
*den Herzogen für ihren regierenden Landsfürsten vnd*  
*Herzn/ als frommen ehlichen Vnderthanen wol ansteh-*  
*het/ erkennen/ ehren vnd halten sollen vnd wollen/ ut so-*  
*nant verba nuper a pacificationis, qua typis impressa habe-*  
*tur, inter Illustriss. Principem & Civitatem Brunsvicen-*  
*sem, art. 1.* Formulam homagii refert *Wehner. d. l. §.*  
**Wer nun ein Landsfürst ist.** Correlativa enim sunt,  
mutuò se arguentia, **Landsassen vnd Landsfürst/ Land-**  
**statt vnd Landsfürst.** Unde etiam dicta Civitas Brunsvi-  
giga municipalis appellatur à *Geilio, 1. obs. 1. n. 18.* quin  
& ab ipso Imperatore Ferdinando, in confirm. **der Fr.**  
**Br. Hoffgerichts Ordnung: S. L.** (des Herzogen zu  
**Braunschw.) Statt. ibi, ein Fürstlich Hoffgericht in**  
**S. L. Statt Braunschweig/ & ipsa etiam Principem**  
suum, præstito juramento, debitis modis recognoscit,  
salvis privilegiis, à Principe confirmatis. **DEUS Opt.**  
**Max. pacem patriis terris restitutam clementer con-**  
**servet, votis ardentibus oro.**

13. Dicta autem Civitatum divisio quibusdam mi-  
nüs legitima, imò & propter exempla, suspecta & in-  
star Eridos pomi videtur. Non levia sunt, quæ scrupu-  
lum mihi dudum injecerunt. Etenim originem, cau-  
sam



fam & tenorem subjectionis & submissionis, item an  
civitas provinciæ, an ordinum & statuum Imperii pars  
fit, non verò an particularia quædam fori vel alia pri-  
vilegia, quæ tamen directò & per se statum Imperii, ut  
non faciunt, ita nec mutant, ea, inquam, æquâ rationis  
lance cum qualitatibus & circumstantiis suis pensicu-  
landa esse video. Et ex Logicis didici, Simile, Majus  
item vel Minus speciem non mutare. Et partium qua-  
rundam mixturam speciem novam & separatam non  
constituere & Philosophi tradunt & *ICti, arg. l. quæri-  
tur. 10. De stat. hom.* Wormatia indubitatè Imperialis  
Civitas est & manet, video tamen Episcopo ejus loci  
quædam jura tam in Magistratu eligendo, quàm etiam  
in appellando competere: & ad quosdam Episcopos,  
ut Wormatiensem, Bremens. Monasteriens. à Civita-  
tibus appellari, qui appellationes vi pacti & trans-  
actionis, partibus id petentibus, ad Cameram remit-  
tunt, cum rarò habeant *Hoffgericht* / refert *Symph.*  
*Cam. tom. 6. c. 3. §. 3.* Et esse Civitates Principibus subdi-  
tas, quæ prætergressâ Curiâ Provinciali Cameram  
directò appellant, scribit Thom. Mich. *d. loc. concl. 54.*  
*lit. c.* Nec continuò à subjectione eximitur, qui à foro  
privilegiatus est: Diversa enim sunt, forum sortiri, &  
subditum esse, *quæ scribunt Geil. de pign. obs. 15. n. 3. &*  
*Thom. Mich. d. l. concl. 22. in fin.* Maneat mutua relationis  
inter Magistratum & subditum natura, detur Principi  
quod Principis est, Princeps subditis, quod subdito-  
rum est, relinquat, & sic neutri parti præjudicium vel  
molestiam generatum iri, sed miram fore harmoniam  
ex politicis præceptis constat, sine quâ nulla consistere  
Resp. potest, nullus florere populus. *Da unum, in-*  
*quit Augustinus, & populus est, tolle unum, & turba est:*  
*quid enim est turba, nisi multitudo turbata?* Quoniam

igitur mixtura? Quæ solo veritatis inquirendæ & ad-  
discendæ studio, sine ullius injuriâ & præjudicio, de  
quo protestor ingenuè, in medium proferre volui. In-  
tricata hæc esse fateor, quorum decisio Imperatoriâ  
egeat autoritate. Quantum ad nostram attinet quæ-  
stionem præsentis instituti, arbitror ad Regulam supra  
positam respiciendum, & quid, quantumve *voμo Jεctias*  
obtinuerint Civitates, sive mixtas, sive pactitias & pri-  
vilegiatas voces, videndum, ex quo quæstio decidatur.

14. Num verò, ut & hoc melioris enodationis gra-  
tiâ adjiciamus, Principum aliorumque Statuum libe-  
rorum Imperii statuta, confirmatione Cæsareâ indi-  
geant, videndum. Et quidem eâ præcisè opus non  
esse, postquam semel *voμo Jεctias* suam ab Imperio obti-  
nuerunt, communiter concluditur, *Zâf. ad l. 9. n. 6. ubi*  
*Dd. comm. de l. & i. Nic. Bets. de stat. pact. & consuet. famil.*  
*illustr. c. 2. in pr.* impetrari tamen solet, & negligenda  
non est propter majorem corroborationem & indu-  
bitabilem in superioribus & extraneis tribunalibus,  
ubi non rarò de statutorum æquitate controversi so-  
let, autoritatem, ut ita omnis dubitandi & disputan-  
di ansa præcidatur, *ut notabil. scribit N. Bets. d. c. 2. in fin.*  
Quamobrem etiam Principes statutis suis provincia-  
libus, *Lands: oder Hoffgerichts Ordnung* / confirma-  
tionem Imperatoriam præmittere solent, *daß sie von*  
*ihrer Kayserlichen Maj. als auff recht vnd billigkeit / als*  
*tem herkommen vnd löblichẽ gebräuchen gegründet / aller*  
*gnedigst confirmiret vnd beståhtiget / mit angehengtem*  
*Kays. befehl vnd außgetruckter Poen / die einem jeden*  
*der freventlich darwider handeln wurde / aufflegt / pro*  
*formula vulg.* Id. quod non obscure elucet ex d. con-  
firmatione Imp. Ferdinandi ordinationi jud. Provinc.  
Brunsv. præmissâ, *ibi: vmb mehrer beståndigkeit willen.*  
*& ibi:*

& ibi: Confirmiren/ beståhtigen/ bekråfftigen die auch  
hiemit / 22. was wir daran von rechts vnd billigkeit we-  
gen zu confirmiren haben. & ibi: Vnd sonderlich allen  
vnd jeden gedachten vnsers lieben Dheimbs Vnderthā-  
nen. Quæ clausula etiam, was wir daran von rechts vnd  
billigkeit / 22. conditionalis est, & nō tantum alteri ali-  
cui tertio, & concedenti, verum etiam ipsi Principi,  
cui conceditur confirmatio, jus suum salvum, ne præ-  
judicium ulli parti generetur, conservat, *post Vital. in  
tr. claus. in claus. si & quant. de jure fieri deb. Symph. Cam.  
tom. 2. p. 1. vot. 1. punct. 1. n. 17.* Sic Civitates Imperiales,  
licet in specie auctoritatem Imperatoris non semper  
requirant, in genere tamen à novo Imp. ut confirma-  
tiones privilegiorum, consuetudinum, statutorum pe-  
tant, consuetudine receptum esse scribit Zasius *ad d. l.  
9. n. 6.*

15. Præterea Magistratum etiam Academicum, qui  
iudicium suum, quod Consistorium dici consuevit, in loco  
assignato exercet, quamobrem jurisdictio ejus non reali-  
ter, & ut qualitas realis, sed circumscriptivè territorio seu  
loco circumscripto inest, ut scribit Zas. *ad l. 1. n. 22. & 23. de  
jurisdict.* eum, inquam, statuta condere, & pœnalibus  
mandatis munire posse, certum est, *Brüning. d. disp. 8. 51.*  
pro modo *vompo Jecias uq; dinguo d' oicias* suæ, concessæ vel à  
Statu Imperii, à quo fundata & in cujus territorio est,  
vel ab Imp. cui erigendarum Academiæ Regale  
specialiter reservatum, *arg. constit. omnem Reip. 2. §. 7. de  
concept. Digestor. junct. l. precipimus. C. de appellat. post  
Schneivv. Zas. Sixtin. Paurmeist. d. tr. lib. 1. c. 4. n. 7.*

16. Collegia opificum in Civitatibus, German.  
Zunft/ Ampt/ Gilden/ quod attinet, iis certè neque  
*d. l. 9. de l. & l. neque l. fin. C. de jurisd. omn. jud. l. 2. §. fin. C.  
de constit. pec.* neq; ulla politica jurisve ratio *vompo Jecias*

tribuit, ut putat Dd. nonnulli. *vid. Sichard. Schneid. v. Alb. de Ros. Bald. Dassel. sup. d. loc. h. i. h. q.* Quin imò non levis hic fallacia separatorū, & μετὰ χάσεος εἰς ἄλλο γένος committitur, dum à pactioibus privatorum ad Statuta, quæ juris publicè cōstituti species sunt, infertur. *Fac. l. un. C. de monop. l. fin. de Colleg. & Corpor. l. i. quod cujusq. univ. nom.* Si quam habere noscuntur Collegia ista jurisdictionem (*non enim per se habent ex solâ corporis vel collegii permissione, quâ non juris dandi vel reddendi potestatem, quæ privatis non competit, nec privatorum pactioibus prorogari in eos potest, l. i. de judic. sed hoc consequuntur, ut Collegia vel corpora, quæ aliâs sine missu superioris tam politicâ, quàm Civiliratione interdicta sunt, & ea, quæ Collegii naturam sequuntur, habere liceat. l. i. quod cujusq. univ. nom. l. fin. & t. i. de colleg. & corp.*) eam, inquam, vel nomine Magistratus, à quo commissa & concessa est, vel hic per personam Senatoriam, *Durch der Zunffte Oberherren* / cui alii Scabini ex corpore adjunguntur, per Professionum primates, *ut vocantur l. 9. C. de monop. & hodiè in variis Germania locis varia habent nomina, Gùldenmeister / Werckmeister / Schöffnen / rē.* exercere solet, & si quid pro jure ab iis statuatur, id à Magistratus confirmatione & formam & vigorem accipit, quod & usu observari videmus, *teste ipso Schneid. sup. d. l. das die Innungē / Ampt / Zunffte / Gùlden vnd ihre Satzungen von den Oberherren oder der Obrigkeit confirmiret werden. Confer cum d. l. 2. C. de const. pec. Edict. Justin. 8. in pr. Nov. 19. in pr.*

17. His ita discussis, quid de statutis, imò pactis potiùs successoris, familiarum sentiendum sit, non obscure apparet, quæ etiam præter rationes, quas ex superioribus colligere facile est, regulariter in jure nostro prohibita & irrita sunt, *per l. i. l. 3. de hered. petit. l. lege*



*li lege obvenire. de V. S. l. hereditas. 6. C. de pact. conv. l. pactum. 15. l. 19. l. fin. C. de pact. l. 38. ff. d. i. l. 5. C. de ll. Quin vero statuto & consuetudine locorum pacta successoria valorem accipere possint, nō dubito: (cujus tamen probatio, nisi notorium sit, ut res facti, alleganti incumbit. l. 2. de jur. & fact. ign. l. 9. de probat. Treutl. 1. disp. 1. §. 9. lit. h.) cū jus Civile positivum, quale est successorium, contrario Jure Civili tolli possit, §. fin. Instit. de legit. agn. tut. ita tamen, ut genus & fundamentum morale & naturale semper obligatorium maneat, per deducta sup. q. 1. Ideo si manifestum sit pactioes successorias, turpem causam & votum captandi mortem alienam continere, etiam stante illo statuto vel consuetudine, irritas esse ajo, sup. dd. ll. & per l. 27. §. 4. de pactis. l. 5. de pact. dot. tal. & l. 1. naut. caup. stab. & l. 34. §. 2. de contrah. empt. v. Heig. q. 23. Confer Hartm. Pistor. lib. 2. quest. 25. Don. ad d. l. ult. C. de pact. Geil. 2. obs. 125. & 126. & 127. & 155. Mynscent. 2. obs. 33. Treutl. 1. disp. 6. §. 8. Quin & stante ejusmodi statuto vel consuetudine (sic valent in Germaniā pacta dotalia de conjugum successione disponentia) pacta talia, sicut alias ultimas voluntates non solennes, quarum jure æstimantur, arg. d. l. 6. & d. l. 19. quinque testes exigere, & revocationi subjacere statuo, per d. l. fin. C. de pact. l. 32. §. 3. de donat. inter vir. & ux. l. 1. C. de SS. Eccles. l. fin. C. de Codicill. Wesenb. in par. de pact. dot. n. 4. nisi etiam in his specialiter statuto vel consuetudine aliud dispositum sit, in quo nihil fieri contra bonos mores naturales ait Heig. d. q. 23. n. 37. arg. l. 35. in pr. C. de inoff. test. & l. 120. de V. S. princ. Instit. de L. Falc. pr. Instit. quib. non est perm. fac. test. l. 11. C. qui testam. facere poss.*

18. Illustrium familiarū in Germaniā nostrā gentilitias pactioes de mutuā successione initas, *Erbsverbrüderung*/Græc. ἀλλήλοκληρονομίαις, quarum exempla.

pla illustrissima cùm in oculis omnium sint, referre  
necesse non est, ratione Civili & Politicâ, consuetudi-  
ne & Imperatoriâ confirmatione, (*cui clausula inseri-  
tur consueta, dem H. Reich vnd menniglich an seinem  
Recht vnnachtheilig*) quæ temerè non negligenda,  
imò quoad feuda Imperii necessaria omninò est, ro-  
bur suum obtinere, nullus dubito. *Geil. d. obs. 127. Bets.  
d. tr. c. 3. circa fin. & presertim c. 5. p. 110. ubi rationes dili-  
genter ponderat. Wehner. pract. obs. verb. Erbs-  
einigung / Erbverbrüderung /  
Erbvertråg.*

Et hæc de themate nostro pro temporis ratione (*salvo re-  
ctius sentientium iudicio, cui me non gravatè submitto*) proposuisse  
& differuisse sufficiat. Methodicam quandam plenioram  
de perplexâ & variè dispersâ statutorum materiâ disserta-  
tionem conscribere constitueram, sed temporis angustia &  
incommoditas ex manibus eam excusserunt. Tu, L. B. fru-  
ctus hosce immaturores æquo animo, quo offeruntur, ac-  
cipe, Pomariumque tuum, Deo, Patriæ, Tibi, Bonisque om-  
nibus dicatum, favore tuo fovere, & humanitatis rore irri-  
gare dignare, ut, Deo clementer juvante, & con-  
servante, fructus maturiores proferre, tibiq;  
aliisque, quod unice cupit, inser-  
vire queat,



MISCEL-



M I S C E L L A.

I.

**A**N Afyla in Christianis politiis rectè  
instituantur, *ad §. 2. Inst. de his qui sunt  
sui vel alien. jur.* inquirere placet. Vbi juris  
Canonici *c. 6. De immun. Eccles. & Cano-  
nistarum* minùs religiosam facilitatem re-  
jiciendam arbitror.

II.

De veritate *§. aequè. vers. sanè. Inst. de Act.*  
inquirere, integrum sit.

III.

De cōtractus definitione *ex l. 1. § 7. De  
pactis. § l. 15. De prescr. verb. § l. Labeo. 19.*  
*De V. S.* conferre placet.

IV.

*Ad Tit. De His qui not. infam.* de verâ  
facti infamiæ definitione, & num spurii  
vel illegitimè nati eâ laborent, item an &  
cur ab honoribus quibusdam in locis, &  
à Collegiis opificum repulsam patiantur,  
item quâ ratione natio aliqua infamata

E

dicatur, *l. quòd si nolit. 31. §. 21. De Aedil. E-*  
*dict. Ad Tit. 1. v. 23. placidâ συζήσιον* agemus.

V.

Emitorem fundi necesse nō est stare co-  
lono, cui prior dominus locavit, nisi eā le-  
ge emit. *l. emitorem. 9. C. De Loc. Conduct.*  
Et vulgato Proverbio dicitur: *Kauff gehet*  
*vor Miethē.* An verò si migrare ante tem-  
pus locationis finitum coactus damnum  
quid inde sentiat, actio ei contra locato-  
rem deneganda? Id à ratione & jure alie-  
num est.

V I.

*L. Quoties. 15. C. de R. V.* etiam in feudo,  
si duobus diverso tempore concedatur &  
posteriori prius tradatur, obtinere, ut scili-  
cet hic illo potior sit, tam civilis, quàm  
feudalis ratio suadet. In pignore verò secus  
est, *per l. 12. §. fin. & l. 14. Qui pot. in pign.*

V I I.

*Ad Nov. 115. c. 3.* 1. Legitimam titulo  
institutionis hodiè relinquendā esse, Imp.  
non sancit. 2. Eam verò statuto tolli pos-  
se non absurdè dicitur, si forma rei atten-  
datur,

datur, & genus morale à speciali forensi  
determinatione separetur. 3. An argu-  
mento, quod Duar. invictissimum esse pu-  
tat, responderi possit, huic videlicet: Cùm  
Exheredatio sine causâ à patre facta est, le-  
gata debentur. d. Nov. 115. c. 3. At exhere-  
datio illa est quædam præteritio paterna.  
¶ Eadem. Inst. de hered. ab int. E. & c.

I I X.

Pontificem minùs rectè *in c. si diligenti.*  
*12. De for. compet. argumentari cum Cuiac.*  
*ibid.* existimo: fori tamē privilegium non  
nego. Clericum verò aliquando coram  
iudice seculari forum, tam conventionis,  
ut in c. 5. & 6. d. t. & aliis casib. quàm recon-  
ventionis, puta ob causæ continentiam &  
legalem prorogationē, etiam canonibus  
probatam, sortiri ajo.

I X.

Ex *c. per tuas. 6. De Condit. appos. quem*  
*textum fundamentalem esse adserunt Dd.*  
Patrem non posse jure suæ potestatis impe-  
dire vel rescindere filii matrimonium sine  
ejus cōsensu initum & copulâ carnali con-  
summatum, non concluditur.

X.  
Ex §. *Quinetiam*. i. *Episc. vel Abb.* i. *F. 10.*  
Foeminam per existentiam masculi semel  
exclusam, æternùm exclusam esse, non ne-  
cessariò sequi, cum Nobiliss. Feudorum  
Interp. Hartm. Pist. adfirmare, feudali  
rationi consentaneum  
videtur.

*F I N I S.*



00 A 6420

ULB Halle 3  
002 928 000



11

110 17



Missa

Quisdi  
Servitut  
Ad L. tra  
Triacl  
Gure Em  
Bona f  
Servit  
Prinsip


VALEN

Quas  
yur  
des

De Pa  
pobry  
Se rep







14

*Quod Deus benè vertat.*  
**QVÆSTIONES IVRIS**  
ILLUSTRES:

- I. De immotis & certissimis Juris nostri principiis, quæ vocant, Practicis:
- II. De potestate statuta condendi, pro hodierno Germaniæ statu:

Quibus multæ inde dependentes utiles & jucundæ controversiæ proponuntur;  
Cum MISCELLIS aliquot subnexis:

*Ex decreto & autoritate Amplissimi Ictorum Collegii in nobilissimâ hâc Basileensi Academia,*

Pro honoribus & privilegiis in Utroq; Jure Doctoralibus impetrandis & obrinendis,  
*Publica disquisitioni officiosè & humaniter offero*

**HERMANNUS Baumgartt / Hannoverâ-Brunsvigius Saxo.**

*In Auditorio Ictorum, horis solit. d. ult. MART.*  
*Anno MDCXVII.*



**BASILEÆ,**  
Typis IOAN. IACOBI GENATHII,  
Acad. Typographi.

